DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA

DE

# IIS, QVI A NEXV CAMBIORVM, VEL JVRIS CAMBIALIS RIGORE SVNT EXEMTI,



QVAM

RECTORE MAGNIFICO

*PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO DOMINO*

TOBIA JACOBO REINHARTH,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAR. COMITE, JVRID. FACVLT. ASSESSORE, ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITAT. STNDICO ET CONSVLE,

EX CONSENSV ET AVCTORITATE INCLYTI JCTORVM ERFORDIENS. ORDINIS,

*PRÆSIDE*

FACVLTATIS JVRIDICÆ DECANO,

DN. CONRADO WILH. Strecker/ JCto,

PRÆFAT. FACVLTATIS ET JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS ASSESSORE, PROFESS. JVRIS PVBLICO, NEC NON CIVITATIS STNDICO, CONSVLE, ET CAVSARVM TVTELARIVM CONSVLENTE,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA CONSEQVENDI,

*PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET*

AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIAN GVILIELMVS BVCK,

TORGA-MISNICVS.

IN AVDITORIO JVRIDICO COLLEGII MAJORIS H. C.

*DIE III. MARTII M DCC XXXIV.*

*I. N. D.*

# DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA DE IIS, QVI A NEXV CAMBIORVM, VEL JVRIS CAMBIALIS RIGORE SVNT EXEMTI.

## §. I.

D*Eus non omnia omnibus terræ partibus concessit, sed per regiones dona sua distribuit, quo homines alii, aliorum indigentes ope, societatem colerent; itaquè mercaturam excitavit, ut quæ usquam nata sunt, iis communiter frui omnes possent*, egregie Libanius a Grotio allegatus de jure belli & pacis *Lib. 2. Cap. 2. §. 13. n. 5.* loquitur, quo effato de necessitate & utilitate commerciorum satis edocemur. Ut autem floreant commercia, opus est, ut quum plurimis mortalium societatem, commune humani generis vinculum, exuere ac suæ utilitati cum aliorum damno haud raro consulere religio non sit, læsis malitia horum justitia modo, quo fieri potest, promtissimo tribuatur, ut & læsi damni perpessi reparationem accipiant, & cives in republica ad commercia frequentanda, in-

que exterorum amicitiam intrandam, quibus civium felicitas externa maxime promovetur, excitentur.

§. II.

Consilio proinde excubant & vigilant Principes, qui de salute civium suorum sunt soliciti, ut conventiones, sicut omnes, ita imprimis quæ in caussis commerciorum initæ, sancte serventur &, si lites de iis ortæ, ansa eas protrahendi penitus adimatur. Sane hæc solicitudo id operatur, ut fides, commerciorum caussa potissima, conservetur, atque exteri quoque ad commercia cum civibus ineunda, quum nihil damni in iis metuendum, invitentur. Quum autem utilitas commerciorum singularis conventionis speciem, quam cambium vocant, produxerit, non mirum est, quod Imperantes in sanctionibus suis magnam vim cambio tribuerint & modum celerrimum controversias ex eo ortas dirimendi præscripserint omnesque, qui litteras cambiales aliis dederunt, in caussis mercaturæ, quid? quod in aliis etiam, dum fidem fulciri in omnibus caussis reipublicæ maxime interest, harum legum vinculo vinctos esse voluerint, interea quosdam, ex justissima ratione tamen, de earundem nexu exemtos esse jusserint.

§. III.

Cambium definiri posse, quod sit contractus a personis quibusdam de pecunia certo in loco, sive eo quo conventio inita, sive aliò, promptissime solvenda litteris initus existimamus. Doctorum autem opiniones, ad quam contractuum romanorum classem cambium accurate referri queat, non multis verbis investigabimus, sed paulo infra brevissimis saltem nostram sententiam proponemus. Omnes JCtorum, qui de cambio scripserunt, opiniones enim hac de re proponere tædiosum foret; collegit jam eas FRANCKIUS in elegantissimo Juris cambialis Institutionum libro *Lib. I. Sect. I. Tit. 4.* Unde apparet quod alii pactum nudum, alii legitimum, alii contractum innominatum particularem, alii permutationem, alii depositum, alii mutuum, alii stipulationem, alii locationem, alii emtionem, alii mandatum in cam-

cambio intervenire adfirment. Nos contractum cambii indoli contractus chirographarii valde convenire cum LEYSERO opinamur, indeque per contractum litteris initum eundem definivimus: non equidem latet, varia dubia contra hanc sententiam moveri posse; in essentialibus tamen ad minimum cambium ad contractum litteralem proxime accedere persvasi sumus. Sicut nempe contractus litteralis necessario scripturam requirit; ita & in contractu cambiali eadem desideratur, ut, antequam illa accedat, obligatio cambialis non oriatur. Et quamvis non negandum, ex nuda etiam conventione de cambio contrahendo obligationem enasci; ea tamen non cambialis obligatio dici poterit, nec processus cambii tunc locum habebit, sed is qui promisit, ordinario modo ad servandam fidem conveniri debebit: ast simulac scriptura accedit, jam alter alteri ex cambio obligatus est, nec quæritur amplius an vera debendi caussa litteris cambialibus inserta, sed tantum quid scriptum sit, quæ omnia cum contractu chirographario accuratissime conveniunt, vid. LEYSER. *Spec. 133. med. ad pand.*

## §. IV.

Dividi cambium in locale, quod diversa loca respicit, hocque iterum in regulare sive feriatum, quod in nundinas directum; & irregulare sive platearum, quod aliud tempus respicit, & cambium quoque aliud manuale, quod in eodem loco, in quo conventio inita, fieri solet, quodque magis negotium obligatorium litteris cambialibus munitum, quam proprie cambium significat, omnes, qui animum ad jus cambiale addiscendum adjunxerunt, sciunt, adeoque ut largissimis verbis ea, quæ requiruntur ad cambia localia & manualia commemorare opus esse non arbitremur; annotantes hic, quod Legislatores in cambiorum negotio, reipublicæ saluberrimo, varia singularia in salutem civium sanciverint, quæ illi JCti qui de jure & processu cambiali libros ediderunt, exponunt, quæ ad nostrum vero institutum vix pertinent, qui de personis saltem iis, quæ a nexu seu obligatione cambiorum vel rigore juris cambialis, i. e. a processu cambiali

li rigoroso, carcerem non solventibus minitante, a Legislatoribus exemtæ sunt, in hac solemni dissertatione agere constituimus.

§. V.

Quodsi leges, quæ de cambiis latæ accurata lance ponderare velimus, omnes homines regulariter, qui aliis contractibus constringuntur, cambiis se obligare quoque & rigori juris cambialis se exponere posse reperiemus, sive mercaturam exerceant sive non. Quippe, quamvis cambia, tanquam certissima remedia fidem tuendi inter eos, qui mercaturam exercent, inventa, adeoque potissimum mercaturæ provehendæ gratia introducta fuerint; aliis tamen hominibus mercaturæ non deditis cambia ad commodum suum convertere, se cambiis aliis obligare & sibi obligatos cambiorum vi ad solutionem justo tempore faciendam compellere postea ob publicæ utilitatis rationem, quæ fidem datam ob omnibus servari postulat, permissum fuit; Quod nostrum assertum ordinationes cambiales satis corroborant, e quibus saltem recensemus Ordinationem Wratislav. art. 1. & imprimis Lipsiensem, ubi hæc verba notatu digna leguntur: Ob zwar Wechsel-Briefe, als welche zu Beförderung der Handlung erfunden, und eingeführet worden, vornehmlich Kauff- und Handels-Leute angehen, dieweil aber auch viele andere hohe und niedrige Personen zu ihrer Bequemlichkeit und aus andern Ursachen sich derselben zum öfftern gebrauchen; So hat es bey dem, was wegen Præsentirung, Acceptirung und Bezahlung, auch schleuniger Execution der Wechsel-Briefe in dem Churfürstl. Sächs. Marckt-Rescript vom 25. Julii 1620. und dessen Declaration vom 21. Julii Anno 1660. sowohl in dem Decisiv-Befehl vom 4. Septembr. Anno 1669. klärlich verordnet, auch noch ferner unter andern, die sich der Wechsel-Briefe bedienen, nicht weniger als unter Kauff-Leuten allenthalben sein Verbleiben, und wird darüber billig steiff und feste gehalten. Alias plures exhibet LUDOVICI im Wechsel-*Process*. *Cap. I.*

§. VI.

Verum hæc de cambiorum obligatione regula generalis

 forma-

formata insignes patitur exceptiones, quas leges cambiales suppeditant, ex quibus ad intelligendum facile est, quasdam personas, uti jam proposuimus, a nexu cambiorum plane esse liberatas, quasdam, si dederint litteras cambiales, a processus cambialis rigore immunes esse. Inter eas, quæ solæ cambiis haud obligantur, ob imbecillem ætatem referimus primo infantes; nam si jus romanum consideremus JCtus Cajus in *l. 1. §. 13. π. d. Oblig. & Act.* eos non intelligere quid agant, tradit, atque eorum nullum sensum esse PAVLVS in *l. 32. §. 2. π. d. acquirend. vel omitt. possessione* ait, & quorum proinde status a conditione furiosi non multum distat; & licet fari queant, quid tamen loquantur, aut agant haud intelligunt: videntur JCti veteres a Stoicis hoc sumsisse, qui verba infantuum veluti corvorum habebant, eosque non loqui sed quasi loqui teste VARRONE *Lib. V.* de Lingua latina docebant. Hinc infantes ne naturaliter quidem se aliis jure romano obligare possunt, etsi tutoris auctoritate conventio confirmetur, quum nempe nihil ab infantibus peractum sit, quod confirmatione tutoris fulciri queat. Vid. STRUV. *in Syntagm. Juris Civ. Exerc. 6. aphor. 39.* Sed si contractus cum sui juris infantibus incundus, nomine infantum tutorem eundem perficere debere *ex lege 18. §. 2. C. d. Jur. delib.* colligimus. Ea, quæ de infantum invalida obligatione in conventionibus ex jure romano proposuimus, applicamus quoque ad cambia, atque infantes natura impediri illa perficere statuimus; quia humanarum actionum & conventionum fundamenta in cambiis omnino observanda erunt. Quodsi necessitas urgeat vel manifesta utilitas exigat, ut nomine infantis tutor cambiales litteras dare velit, id permittendum eidem quidem adminimum extra Saxoniam videtur; sed tunc tamen contra tutorem tantummodo, in mora promissa adimplendi versantem agendum durante officio erit ex litteris cambialibus, ut ex infantis bonis creditori satisfaciat; promovendo enim utilitatem infantis tutor non spoliat sed tuetur suum pupillum, indeque solutio ex bonis infantis facienda erit. Vid. RAVMBVRGERI *Justitia Select. gentium in cambiis Cap. 6. §. 3.* vel poterit

terit tutor, qui pro infante se obligare valet, nomine etiam proprio litteras cambiales dare, ut ex cambio contra eum agatur, & indemnis postea servetur.

§. VII.

Qui infantiam egressi sui juris & impuberes sunt, intelligunt quid loquantur & quid ab ipsis agatur, consentire inde & alios jure romano sibi obligatos habere possunt; interim quia nondum perfectum eorum est animi judicium, sua promissione tantum naturaliter obligari testantur Imperator JUSTINIANUS *§. 9. J. de inut. stipulat.* & JCtus PAULUS *in l. 25. §. 1. ✝. quando dies legat. cedat*, non civiliter, sine autoritate tutorum ut CAJUS JCtus in *l. 9. pr. de autoritat. & conf. tutor.* tradit. In cambiis pupillos solos se obligare aliis impediri vel inde manifestum est, quod ne quidem absque tutore autore in aliis caussis civiliter se obligare possint; ergo multo minus in cambialibus, in quibus strictum jus observari & captivitas imminere solet, atque eam ob caussam etiam ordinationes ferme cambiales omnes pupillos solos a cambiorum vinculo liberant. Si pupilli autem non soli, sed cum autoritate tutorum cambium contraxerint, fundamento suo niti pupillorum obligationem, nisi legis prohibitio certo in loco adsit, statuit RAUMBURGER *cit. loc.* In ordin. camb. Marchica Art. VI. & Magdeburg. art. V. legislator de iis, qui in infirma adhuc ætate sunt, ita disposuit: Nachdem wir aber ohnlängst und zwar unter dem 10ten Sept. 1701. ein Edict publiciren lassen, Krafft dessen denen Minderjährigen ohne ihrer Vormünder Consens bey Verlust des Capitals kein Geld gelehnet werden solle, so kan auch solchem Edict zuwieder kein von ihm ausgestellter Wechsel-Brief gültig seyn ꝛc. inde deducendum esse credimus, quod sicut sine autoritate tutorum mutuum cum pupillo iniri, ita & cambium contrahi nequeat, at, si adsit tutoris autoritas, & mutuum & cambium cum pupillo iniri possit. Verum econtrario in Ord. Processf. Sax. Elect. recognit. Append. §. II. & mandato wegen derer Studiosorum Wechsel-Briefe de dato Dreßden am 29ten Dec. 1718. & mandato wieder das Außborgen junger

Leute,

Leute, auch Ausstellung derer Wechsel-Briefe und darbey mit unterlauffender Mißbräuche de dato Warschau den 21. april. 1724. cambia ab iis, qui potestati aliorum subsunt, contracta damnantur, & omnis vis iisdem adimitur uti ex verbis ipsius legis in §. paulo post sequentibus apparebit: leges tamen eædem hunc casum etiam saltem complecti videntur, si illi, nempe qui sub potestate aliorum existunt, soli cambiis se obligaverint; an vero in Saxonia Electorali prohibitio ad eum casum quoque, si cum consensu eorum sub quorum potestate sunt tales personæ cambia contraxerint, extendenda sit, de eo dubitari potest. Sed ponamus rigorem juris cambialis in Saxonia neque hoc in casu obtinere, processus tamen executivus saltim locum tunc inveniret, quum guarentigiatum instrumentum adesset. Cæterum si tutor nomine suo litteras cambiales pro pupillo scripserit, quin omnes effectus hæ litteræ producant, etiam in Saxonia, nulli dubitamus. *arg. §. 13. App. Ord. Pr. Recogn.*

§. VIII.

Minores curatores non habentes jure romano ex conventionibus valide obligari, læsos tamen restitui posse in integrum Imp. DIOCLET. & MAXIM. *in l. 3. C. d. in integrum restit. minor.* declararunt; si curatores acceperint minores, absque istorum consensu sibi alios obligare posse, sed ex conventione, quam de rebus suis minores inierunt, non adhibito curatorum consensu, civiliter eos non obligari eadem lex confirmat, in qua exponitur, quod minor curatorem habens, & res suas vendens contractum emtionis venditionis servare non debeat, quum non absimilis ei habeatur minor curatorem habens, cui a Prætore curatore dato, bonis interdictum est. Scilicet contractus a minore absque consensu curatoris initus non servari, adeoque a judice ipso invalidus declarari absque ulla in integrum restitutione debet, ex ratione, quod non absimilis habeatur hic minor illi, cui a Prætore curatore dato bonis interdictum est, hoc est prodigo, qui nec alienare nec sese aliis obligare potest, & obligationis effectus hic pertinet ad bona, quorum administrationem huic minori ademtam

tam esse ex effato VLPIANI JCti in *l. 1. §. 3. ff. d. Minor.* percipimus. In caussis cambialibus, quando de minorum obligatione agimus, hos casus imprimis discernendos esse arbitramur; nimirum minores, quorum actiones diriguntur a curatoribus, aut mercaturam non exercent, aut eandem frequentant: priori casu, sicut absque consensu curatorum se in aliis negotiis, bona eorum concernentibus, non obligare, ita multo minus in cambiis absque hoc consensu obligare poterunt: posteriori casu primò probe ponderandum erit, quo anno in regionibus istis, in quibus degunt ætatem suam minorennes, finiatur eorum minorennitas; quum utut in plurimis locis jus romanum in hoc articulo observetur, in quibusdam tamen alius ætatis hujus terminus introductus, & deinde leges cambiales quoque perpendendæ erunt, an hæ leges, uti plerumque fit, jubeant obligari mercatores cambio ab eo statim tempore, quo mercaturam exercere publice inchoaverint, etsi terminum præfixum ordinarium majorennitati nondum attigerint, & tunc, licet minorennes adhuc ætate, pro majorennibus tamen in hoc negotio seu arte sua habiti, a nexu & rigore juris cambialis haud quaquam exemti erunt; an vero leges cambiales disposuerint, ut a tempore vel adimpletorum certorum ætatis annorum vel adeptæ in iis locis majorennitatis cambiis constringerentur, & tunc in his legibus fundamentum itidem obligationis cambialis ponendum erit. Conf. RAVMBVRGER *cit. loc. §. 7.*

§. IX.

Et ne sine legibus locuti videamur, recitamus ex ordinatione Camb. Lipf. mense Octobr. Anni 1682. in lucem emissa primo hæc verba: Allermassen auch die, so das 21ste Jahr ihres Alters noch nicht erfüllet, wenn sie eigene Handlung treiben, und darinnen sich zu etwas verbinden, dasselbige allerdings zu halten schuldig seyn. Secundò ex Ord. Camb. Brandenb. art. 6. allegamus hæc verba: Es wäre denn, daß sie, die Minorennes, würcklich öffentliche Handlung trieben, welchen falls sie, wo sie 21. Jahr alt sind, pro majorennibus gehalten werden sollen. Tertio ex Ord. Camb. Boruss. art. 35. recensemus. So findet

det auch die Exceptio minorennitatis keinen Platz, dafern der-gleichen bereits in Handlung begriffen, und ihren eigenen Ge-schäfften fürstehen. Quartò quod eos concernit, qui mercaturæ operam non navant, de iis notatu dignissima verba, quæ in jam citato mandato regio wider das Ausborgen junger Leute, auch Ausstellung derer Wechsel-Briefe de dato Warschau den 21. April. 1724. §. 1. continentur, proferimus: Also soll hinführo ausser Handels-Leuten niemand, wes Standes und Condition er seyn möge, und da er gleich in unsern würcklichen Kriegs-Diensten stehet, oder veniam ætatis erhalten, oder so viel diejenigen, so unter väterlicher Gewalt annoch befindlich, betrifft, ein eigenes, im übrigen zu seiner freyen Disposition stehendes Vermögen besitzet, ehe er das 25. Jahr seines Alters erfüllet, Wechsel-Briefe auszustellen, zu indossiren, oder zu acceptiren, oder auch nach Wechsel-Recht sich zu verschreiben Macht haben, und wenn es gleich geschiehet, die vor solcher Zeit ausgestellte, indossirte oder acceptirte Wechsel-Briefe schlechter Dinge ungültig seyn, auch durch keinen, zur vermeynten Bekräfftigung angehangenen, oder auch cörperlich geleisteten Eyd alles dessen, was aus denen Rechten dießfalls dargegen angezogen werden könte ohngeachtet, einige Verbindlichkeit erlangen soll. Ex §. 5. ejusdem Mandati limitationem tamen addimus: Damit aber durch diese unsere Verordnung der Handlung kein Nachtheil zugezogen werde, wollen wir davon die Handels-Leute, wenn dieselben unter sich, oder an andere Wechsel-Briefe ausstellen, ingleichen Fremde, so in- oder ausserhalb unserer Lande, nach Wechsel-Recht sich verschrieben, gäntzlich ausgenommen haben: Innassen auch die von den unsrigen, so nicht Handels-Leute, ohngeachtet sie das 25. Jahr ihres Alters nicht erreichet, ausser Landes gegebene Wechsel-Briefe zwar nicht als Wechsel-Briefe, sondern nur als blosse Handschrifften gelten sollen = = = und wollen ihnen, die solche Wechsel-Briefe erhalten, durch schleunige Execution zu den ihrigen verhelffen 2c.

## §. X.

Saluberrima haec & omnibus laudibus celebranda constitutio, qua adolescentum luxus, in quem non pauci effunduntur, reprimitur, docet, quod mercatores, ne commerciis

impedimentum objiciatur, allegantes minorem eorum ætatem, a cambiorum obligatione liberati esse non debeant; quod ad eos vero minores attinet, qui mercaturam non exercent, illi, cujuscunque conditionis sint, cambiis, antequam non annum vigesimum primum seu terminum majorennitatis in Saxonia ordinarium, sed annum vigesimum quintum seu terminum, quem prudentissimi romani majorennitati præfixerunt, quo nempe virilis vigor completur & juvenilis temeritas atque inconsiderantia a plerisque exuitur, attigerint, nullo modo in caussis cambialibus, & ne quidem vinculo juramenti, quo in aliis negotiis tamen homines arctissime vinciuntur, constringendi sint; ab hujus legis obligatione excipiuntur interea qui non sunt cives saxonici, & subditi, qui in nexu juris cambialis manent; si vero sint subditi minorennes & bona interim fide exteris cambiales litteras dederint, etsi non rigorem juris cambialis, modum tamen procedendi executivum ob litteras has datas experiri debeant. Cæterum quum Potentissimi Legislatoris intentio ea sine dubio fuerit, ut illecebras corruptelarum a juvenibus removere, ad virtutis viam ingrediendam eos invitare, & malitiam eorum, qui adolescentum fortunis inhiant, sibique cambia ob incerta nomina dari curant a juvenibus, coërcere voluerit, investigandum esset, an cambia, quæ a minoribus non mercaturam exercentibus cum consensu curatorum ad utilitatem minorum augendam data, prohibere legislator etiam constituisset; certe dum cum exteris bona fide cambia ut ineantur minoribus & subditis permisit, videtur, si etiam juris cambialis rigor exulare debeat, ad minimum eadem ratione minoribus permisisse in Saxonia ipsa, si cum consensu curatorum iidem consulturi suæ utilitati cambia contraxerint, ut eadem ratione, qua obligantur minores cum exteris cambia ineuntes, se obligare possint: interim uti jam supra monuimus hæc ex observantia dijudicanda erunt, ea quoque dubiis quibusdam esse adhuc obnoxia libentissimi fatemur.

§. XI.

Filiifamilias in patria potestate existentes jure romano, si con-

si conventio eorum cum patre ineunda in caussis rerum profectitiarum, civiliter non obligantur ob unitatem personarum, dum nemo sibi ipsi obligatur, quod JVSTINIANVS Imperator in §. 6. J. *d. inut. stipulat.* disposuit; in caussis vero rerum castrensium & quasi castrensium, in quibus ea unitas non attenditur, conventio filiorum cum patre valebit, quod ex VLPIANI JCti effato in l. 2. *π. ad SCt. Maced.* adparet. Si filiusfamilias cum extraneis contractus inire velit, ex iis ut paterfamilias obligabitur, exceptis mutuo in pecunia & voto, quod confirmant JCti CAJVS in *l. 39. π. d. Obl. & Act.* & VLPIANVS in *l. 2. §. 1. π. d. Pollicit.* Cambia cum patre a filiofamilias contracta, nisi de peculiis dictis ineantur, aut pater filium emancipatione a sua potestate dimiserit, valorem nancisci non poterunt. Ex iis vicissim cambiis, quæ cum extraneis a filiis contrahuntur, si jussu patris dentur litteræ cambiales, obligationem enasci censemus, si autem inscio & invito patre tales litteræ a filiofamilias scribantur, nullam obligationem inde oriri nobis persuademus, sive litteræ cambiales a filiis familias datæ, qui a patre missi in academias ad animum litteris imbuendum, sive ab iis filiis, qui in academiis non vivunt, cambia contracta fuerint. Qui mercaturæ dediti sunt filii, & qui in familia paterna permanserunt, & mercaturam cum consensu patris separatam in bonis, quæ pleno jure possident, exercent & cambia contrahunt, illi ex cambiis, modo ordinationes cambiales non determinaverint quo anno ætatis filiorum obligatio in cambiis incipere debeat, sine omni dubio obligantur: si autem filiifamilias mercatores in negotiatione patris operas suas præstent, & mandato instructi cambia in negotiatione patris & nomine patris ineant, patrem inde obligari quoque tam certum est, quam quod certissimum: quidquid enim quis facit per alium mandato speciali munitum, regulariter id ipse fecisse putandus est. Conf. RAVMBVRGER *cit. loc.* §. 6.

## §. XII.

Quæ de filiisfamilias in medium attulimus, pleraque in legibus cambialibus sancita reperiuntur, reliqua JCtorum autoritate fulciuntur. In declaratione rescripti cambialis in

caussa eorum, qui in Academiis vivunt, a Legislatore Potentissimo Sax. an. 1680. d. 19. Mart. editi sic disponitur: Aber denen, so noch sub patria potestate stehen, soll keinesweges verstattet werden, auf solche Art zu negotiiren und Wechsel-Briefe von sich zu stellen ꝛc. In mandato wegen der Studiosorum Wechsel-Briefe de dato Dreßden am 29sten Dec. 1718. exprimitur: Daß hinführo die Studiosi, so auf unsern beyden Universitäten Leipzig und Wittenberg sich würcklich befinden, sowohl die minder- oder volljährig sind, ingleichen alle, so annoch unter väterlicher Gewalt stehen, keine Wechsel-Briefe ausstellen, noch andere, wer die auch seyn, solche von ihnen annehmen, oder wiedrigen Fälls erwarten sollen, daß ihnen daraus wieder die Aussteller, weder bey währenden solchen Zustande, noch auch hernach auf dessen erfolgte Veränderung verholffen werde, gestalt denn ein dergleichen ausgebrachter Wechsel-Brief nicht einmahl als eine blosse Handschrifft gelten, am wenigsten aber darauf das Wechsel-Recht iemahls verstattet werden soll: immassen denn auch die Eltern derer Studiosorum und anderer annoch in patria potestate stehenden Personen, sie seyn mündig oder unmündig, derer gemachten Wechsel-Schulden halber, zur Bezahlung nicht anzuhalten, sondern auch ihres Orts bey dem ihnen hierwieder zustatten kommenden SCto Macedoniano zu schützen sind, wenn gleich in solchen Wechsel-Briefen die clausula juratoria enthalten, als weßhalber vielmehr so wohl die Aussteller, als die Annehmer, wegen Mißbrauch des göttlichen Nahmens, willkührlich zu bestraffen sind. Additur tamen hæc limitatio: Also ist es hingegen auf andere, sowohl auf Universitäten, als ausser denenselben, die majorennes, welche zwar unter der Patria potestate stehen, dabey aber ein absonderliches peculium und eigenes Vermögen haben, oder Doctores sind, und praxin exerciren, oder selbst andern Collegia halten, deßgleichen diejenigen, so würcklich Handlung treiben, keinesweges zu extendiren, sondern es verbleibet wieder dieselben und andere, die von der väterlichen und Vormünder Gewalt befreyet, ihr eigen Wesen haben, das Wechsel-Recht bey völligen Kräfften. In art. 6. Ordin. Camb. March. occurrit, daß ein Sohn,

der

der unter väterlicher Gewalt ist, aus einem ausgestellten Wechsel-Briefe belanget werden solle, wenn er würckliche Handlung treibet, und das 21ste Jahr erlanget hat rc.

§. XIII.

Augustissimi legislatoris saxonici mandatum die 29. Dec. anni 1718. promulgatum, cujus verba jam communicavimus, varia in utilitatem civium suorum redundantia complectitur, quæ paucissimis verbis indicare operæ pretium esse ducimus. Caussa, quæ sapientissimum Legislatorem hanc condendi legem commovit, nulla alia, quam felicitatem subditorum conservandi tuendique fuit; nempe quum experientia docuerit, quod filiifamilias ad excolendum animum litterarum studiis destinati & vel ad Lipsiensem vel Vitebergensem academiam missi a parentibus, insciis iis haud raro cambia contraxerint & determinato tempore solutionem non facientes rigorem juris cambialis experti, adeoque in carcere inclusi, in litteris progredi impediti, atque insuper eorum parentes innocentissimi liberos e carcere liberaturi solutione debitorum cambialium a filiis contractorum maxime gravati fuerint, unde improbi creditores lucrum in honestum captaverint. Deinde ipsa sanctio re ipsa continet ea, quibus felicitas subditorum augetur, quippe constitutio hæc arcet filios a litteris cambialibus scribendis, immo etsi ii contra legem scripserint, vis tamen cambiis talibus adimitur, ita, ut litteræ hæ scriptæ nullos plane effectus producere & omni civili obligatione destitutæ esse debeant, adeoque creditor ex his litteris in judicio acturus sive processu cambiali sive alio non audiatur, quum nullum fundamentum agendi habeat, & litteræ cambiales ne quidem tanquam chirographum valeant; extenditur itidem hæc prohibitio ad eum casum, ut ne quidem juramentum cambialibus litteris additum obligationem inducere debeat; nam utut juxta juris canonici doctrinam juramentum singularem efficaciam habeat atque efficiat, ut negotium jurejurando confirmatum ab eo, a cujus facultate dependet hoc negotium, adimplendum sit; tamen quum hoc jusjurandum a filiofamilias præstitum non tan-

tum concernat jus filii, cui renunciare possit, quantum præjudicium patris, cui solutio debiti a filio contra voluntatem patris contracti extorqueri debet, hoc juramentum ne quidem adprobari in jure canonico existimamus cujus æquitas alteri innocenti per alterum, res suas imprudenter gerentem, damnum inferri non patitur. Et dum damnum ita omne Rex Potentissimus a parentibus nihil tale merentibus depellere voluit, non miramur, quod is si nulla læsio parentibus immineat & filii ipsi ad eam ætatem perveniant, in qua considerate negotia sua tractare norunt, bonisque propriis pleno jure ad eos spectantibus gaudeant, & tunc cambiales litteras dederint, aut si sint minorennes sed mercatores, ut fides, commerciorum fundamentum, illibata servetur, inde valide eos obligari jusserit. Vid. plura in Dissert. quæ sub præsidio Dn. HANACCII *de ære alieno Studiosorum* Vitebergæ anno 1724. habita fuit, in qua constitutiones Saxon. laudatæ docte illustrantur.

§. XIV.

Fœminæ majorennes jure romano ex conventionibus obligantur, pro aliis saltim intercedere vetantur, quæ prohibitio partim ab antiquis moribus, qui ut mulier romana ullum officium civile vel virile obiret non ferebant, partim ex cura pro infirmitate sexus proficiscitur: intercedere vero est alienæ obligationi, vel veteri vel novæ accedere, vel eandem plane in se derivare, quod fit defendendo teste VLPIANO JCto in *l. 2. §. 5. π. ad SCtum Vellej.* fidejubendo *in ejusdem legis §. 1.* pignora dando, autore JCto POMPONIO in *l. 32. π. d. t.* constituendo ex sententia CAJI in *l. 28. π. d. pecun. constitut.* mandando ex decisione JCti VLPIANI in *l. 6. ad SCtum Vellej.* expromittendo ex arbitratu MARCELLI JCti in *l. 8. §. ult. tit.* In Saxonia & iis provinciis, ubi Jus Saxonicum viget, regulariter absque curatoris consensu mulieres se non obligare valent; silentio tamen etiam non prætereundum quod die 18. Novembr. anni 1722. mandatum in Saxon. Electorali promulgatum fuerit, vigore cujus fœminæ innuptæ majorennes, si geradam excipias, de rebus mobilibus sine

cura-

curatore se obligare possunt, fœminæ vero nuptæ absque consensu maritorum vel curatorum, si habeant tales, se cambiis & aliis modis obligare prohibentur.

§. XV.

Verum de mulierum cambiis nominatim jam edisserendum est. Quæ de cambiis in Saxonia nostra Electorali intuitu mulierum observantur ex rerum hac de re gestarum serie optime cognoscuntur. Quondam nempe quæstio movebatur, an rigor juris cambialis contra fœminas, quæ litteras cambiales scripsissent, obtinere posset? Ansam hanc quæstionem movendi præbuerat das Marckt-Rescript, quod de personis quæ litteras cambiales aliis dare possent agebat, sed fœminarum nulla mentio in eo facta erat; unde Scabini Lipsienses eam tuebantur sententiam, quod rescriptum hoc, tanquam jus singulare, ad casus in eo non comprehensos atque ita ad fœminas etiam non nominatas interpretatione non extendendum esset: JCti vero Vitembergenses contrariam ex ea potissimum ratione amplectebantur sententiam, in eaque fœminas rigori juris cambialis obnoxias esse defendebant, quod rescriptum in genere de omnibus, qui litteras cambiales dedissent, disponeret, nec nominatim fœminas exciperet, adeoque, quum imprimis ad commercia augenda & fidem stabiliendam rescriptum hoc promulgatum, fœminæ quoque a cambiis liberatæ dici haud possent. Placebat vero Legislatori, ut die 8. April. anni 1672. sententiam Scabinorum Lipsiensium & mox JCtorum Vitembergensium confirmaret per rescripta his verbis: Daß von einem jeden, der Wechsel-Briefe von sich gestellet, sie betreffen, wen sie wollen, steiff und feste darüber gehalten werden, wie denn auch gestalten Sachen nach, wieder die Weibes-Personen, welche Kauffmannschafft treiben, oder durch Abgebung der Wechsel-Briefe sich dadurch dem Recht der Kauffmannschafft unterwerffen, nach dem Wechsel-Recht verfahren werden solle. Itaque fœminæ absque distinctione, an mercaturam exercerent, an non, rigorem juris cambialis subire tenebantur. At anno 1676. ordines provinciales precibus ad Electorem missis

 im-

impetrabant, ut in recessu provinciali tunc temporis promulgato exprimeretur, mulieres mercatrices solummodo jure cambiali obligatas esse debere, quod posteà ordinationi cambiali de anno 1682. §. 2. inserebatur his verbis: Nachdem in der extension des Marckt-Rescripts geordnet, daß auch wieder die Weibs-Personen, welche Kauffmannschafft treiben, nach dem Wechsel-Stylo zu verfahren, so bleibt es auch dabey ins künfftige, jedoch mit dieser Erklärung, daß wenn eine ledige, oder auch verehlichte Weibs-Person, welche ihr eigen, und zwar, so viel die Eheweiber anlanget, vor sich, ohne ihren Ehemann absonderliche Handlung führet, in ihren eignen Nahmen einen Wechsel-Brief ausgegeben, ob es gleich ohne Auctorität ihres ehelichen oder andern Curatoren, auch ohne vorgegangene Erinnerung ihrer weiblichen Rechts-Wohlthaten geschehen, dennoch wieder sie nach Inhalt obangezogenen Marckt-Rescripts verfahren werden solle. Ex his verbis clarum est in Saxonia juris cambialis rigori fœminas mercatrices subjectas esse, si nempe in negotiis ad mercaturam spectantibus litteras cambiales dederint, non si aliis in caussis scripserint has litteras; colligimus vero inde fœminas non mercatrices cambia ineuntes rigori juris cambialis haud expositas esse. Addimus saltem de fœminis mercatricibus hoc, si talis fœmina eo tempore, quo scripsit litteras cambiales mercaturam exercuerit, eo vero tempore, quo ex obligatione sua solutio pecuniæ cambialis facienda, hoc vitæ genus mutaverit, quod tunc nihilominus ex rigore processus cambialis contra eam agi possit, quum obligatio ex eo tempore, quo inita, non quo mutatio in persona obligata posteà accidit, dijudicanda sit. vid. LUDOVICI in Wechsel-*Proceß. Cap. I. §. 7. & 8.* In aliis ordinationibus camb. quas LUDOVICI cit. loc. recenset, contra fœminas interdum absque omni distinctione processu cambiali agi potest, interdum in cambiis a fœminis non mercatricibus datis requiritur consensus curatoris, interdum Jus Sax. Elect. observatur.

§. XVI.

Sed redeuntes ad Saxoniam, quum in foris Electoralis Saxoniæ processus cambialis contra solas fœminas mercatrices valeat, quærimus an ex cambio a muliere non mercatri-

ce contracto processu ad minimum executivo agi possit ? & affirmamus, quod cambium instrumentum sit liquidum ex eoque recognito statim executio consequatur: nam licet mulier, quæ non mercatur, ex instrumento cambiali in tantum non teneatur, in quantum ex eo ad personæ custodiam agitur, tenetur tamen, in quantum in rem simplicem executionem petere licet: seu, ut hæc clariora fiant, nexu singulari, qui personam attingit, mulier non mercatrix levatur, minus autem illo obligationis genere, quod ex instrumento cujuscunque generis liquido dimanat. vid. BERGER. in Elect. Discept. Forens. *Tit. 5. Obs. 3.*

§. XVII.

Quoniam contra fœminas, quæ mercantur, processus cambialis in Saxonia & aliis multis locis instituitur, quænam fœminæ pro mercatricibus haberi solent, exponimus. Pro mercatrice mulier haberi potest, quando primò negotiationis exercendæ caussa emit & vendit, secundò taberna publica utitur, tertio emit & vendit ad pondus, libram & mensuram, quartò id facit suo nomine aut quinto cum marito communem negotiationem habet; si enim id non fiat, & uxor mercatoris de mercibus mariti vendat, vel in ejus taberna in utilitatem mariti emat, mercatrix vocari nequit; quia mores ita ferunt, ut ab uxoribus talia peragantur, adeoque non tam uxor, quam maritus mercatus intelligatur, & tanquam ex suo contractu, uxoris saltim ministerio adhibito, obligetur, & ex hac obligatione conveniatur: hoc tamen, si reliqua requisita adsint, in fœmina mercatrice non requiritur, ut ipsa actus mercatorios exerceat, sed per alium, nempe institorem mercari quoque potest. Cæterum dum in quibusdam locis nemo mercatoris nomine insigniri potest, nisi matriculæ mercatorum nomen ejus insertum sit, tunc in iisdem locis fœmina mercaturam cultura observare idem debebit, non tamen id incumbet viduæ mercatoris, quippe quæ personam mariti in viduitate, privilegia ejus & jura repræsentans, sine nova immatriculatione aut adoptione in collegium mercaturam continuabit, nisi & in hoc casu aliud moribus

locorum ex justa utililitatis publicæ ratione receptum sit: vid. MEVIUS *in Comm. ad jus Lubecens. Lib. III. Tit. 6. art. 21. §. 34. seq.*

§. XVIII.

Clericos dum illi alios contractus regulariter inire possunt, cambiis quoque obligari juris canonici Doctores non negant quidem, consuli tamen utique utilitati ecclesiæ existimant, si a cambiis contrahendis plane clerici arceantur. vid. LUCA *in Theatro verit. & justit. Tom. 10. de cambiis Disc. 18.* n. 5. Hac utilitatis ratione moti legislatores in quibusdam regionibus, ubi evangelicorum sacra tractantur, sub gravissima pœna clericis cambia ineunda prohibuerunt, inter quos celebramus Potentissimum Saxoniæ Electoralis Legislatorem, qui in lege cambiali, quam die 22. Martii Anni 1711. de clericis condidit, hoc modo sancivit: Demnach uns unser Ober-Consistorium allerunterthänigst zu erkennen gegeben, daß bißanhero unterschiedene geistliche Personen sich unterstanden, Wechsel-Briefe von sich zu stellen, und dadurch verursachet, daß, wenn sie mit der Zahlung nicht inne gehalten, gedachtes Ober-Consistorium auf derer Creditoren Ansuchen, wider sie nach Wechsel-Recht zu verfahren Anordnung zu thun sich gemüßiget gefunden, weiln das vormahlen den 21. Julii 1660. ergangene Rescript klare Maasse giebt, daß keiner, er habe Nahmen, wie er wolle, wenn er sich zum Wechsel-Recht verbindet, davon ausgenommen werden solte, sondern solches wider sich gelten lassen müsse, von welcher Generalität die Clerici biß dato nirgends ausgenommen worden, dadurch aber nicht nur allerhand Aergerniß verursachet, sondern auch denen benachbarten Pfarrern eine Last durch die einstweilige Versehung des Amts aufgebürdet worden, anderer daher entstehenden Inconvenientien zu geschweigen. Allermassen wir nun die dißfalls beschehene Vorstellung gar erheblich gefunden, und durch arrestirung derer geistlichen Personen, sonderlich derer Pfarrer, an der Seelen-Pflege der anvertrauten Gemeinde, bey Patienten, oder andern geschwinden Fällen, viel versäumet werden kan; Also haben wir wohlbedächtig resolviret, daß künfftig kein Pfarrer, Schulmeister oder Küster (in Rec. Ord. Pr. Sax.

Append

Append. §. 11. adduntur quoque die Organisten und alle andere, so bey denen Consistoriis confirmiret werden) bey Straffe der Suspension von seinem Dienst, oder auch wohl gar der remotion, sich unterstehen solle Wechsel-Briefe von sich zu stellen. Hæc verba prohibitionem continent; quodsi tamen contra hanc, clericus litteras cambiales creditoribus dare conetur, pœna commerita præfixa merito afficiendus, at litteræ cambiales effectum chirographi tunc saltem habere debent. In alleg. Ord. Pr. Nov. cit. loc. reperiuntur addita hæc verba: Und obwohl solches auf die Wechsel-Schulden, so dieselben vor Antritt ihres Amts contrahiret, nicht zu erstrecken, sondern das Wechsel-Recht so dann wider sie allerdings statt hat, so soll doch, wenn sie in solchem Fall in Verhafft gerathen, nach Befinden wider sie gleichfalls nach obigen Mandat verfahren werden. Sapientissime hæc omnia constituta esse nemo, qui salutem ecclesiæ respicit, inficias ibit: interea in iis locis, ubi deficit talis lex, clerici obligantur, quod intelligimus si non tanquam mercatores, cambia contraxerint; mercari enim illis publice non licet; Conf. *C. 18. X. de Cens. C. 9. dist. 88. C. 2. Dist. 88. tot. Cap. X.* Ne Clerici vel Monachi & hoc etiam confirmavit *Conc. Tridentin. Sess. 22, Can. 1. d. Reformat.* Ergo in his caussis si contra prohibitionem legis litteras cambiales dederint, rigor juris cambialis exerceri non poterit, quod art. 6. ordinat. Camb. Brunsuic. in specie confirmat his verbis: Mit Wechseln Handlung und Wucher zu treiben, ist denen Geistlichen hiermit gäntzlich verbothen, gestalt denn auch allenfalls ihre Wechsel-Brief anderst nicht, als vor Waaren herrührende Obligationes angesehen, und daraus zwar executive wider sie verfahren, nach strengen Wechsel-Recht aber sie keinesweges beleget werden sollen.

## §. XIX.

De obligatione, quæ ex principum imperii cambiis oritur, quædam paucis proferre verbis nunc etiam perutile esse putamus. Principes, qui omnes conventiones inire possunt, cambia contrahere posse tam certum quoque est, quam quod certissimum. Quid? quod si quis facultatem hanc illis non competere temerario ausu asseverare vellet, is in deteriorem sta-

tum, quam in quo subditi versantur, eos conjiceret, quod dictu valde durum esset. In publicæ igitur & privatæ suæ rei utilitatem quin principes cambia inire possint nulli prorsus dubitamus; at id tantummodo investigamus, an, si principes litteras cambiales dederint, promissam vero in illis solutionem præfixo tempore non faciant, rigor processus cambialis, puta captivitas, seu arrestum personale contra eos decerni queat? Et hoc ob splendorem dignitatis & imperii, quo corruscant, negandum esse videtur. Libentissimi fatemur ex his litteris, liquidum instrumentum conficientibus, modum procedendi executivum adhiberi posse, quum natura hujus obligationis, omnibus, qui præfixo in litteris cambialibus termino solutionem speratam non acceperunt, promtissimum auxilium & paratissimam executionem polliceatur quidem, eminentissima tamen principum dignitas, immo salus reipublicæ, quæ durante eo tempore, quo princeps captivus detineretur, valde periclitaretur, non patiuntur, ut ordinarius captivitatis modus, quo illi, qui in mora solvendi cambia sunt, coercentur, locum invenire queat: & rerum recentiori ætate gestarum monumenta si accurata lance ponderare velimus, ob caussas civiles cambiales principes in custodia adservatos fuisse, non facile in illis legemus. Sed, dum promtam executionem contra principes cambiis obligatos & solutionem facere morantes concessimus, observandum erit, an nomine civitatis suæ publico an nomine privato cambia contraxerint. Si a principe tanquam domino territorii pecunia cambialis in emolumentum civitatis impensa, tunc executio a superiore in reditus ordinarios principatus fieri, aut si hi non sufficiant, ad restituendam pecuniam cambio acceptam, extraordinaria collecta civibus imponi poterit, ut quod in salutem omnium civium impensum est, omnium etiam contributione restituatur. Si vero princeps non tanquam dominus territorii, sed ut alius privatus ad privatam suam utilitatem augendam cambium contraxerit, executio in reditus, qui ex bonis principis patrimonialibus vel aliis in ejus rem privatam destinatis proveniant decernenda erit, haud quaquam vero subditi onere

no-

novæ collectæ solvendæ gravari poterunt. Vid. RAUMBURGER. *in justit. select. gentium Europæ in camb. Cap. 6. §. 21.*

## §. XX.

Civitates conventiones & sic quoque cambia inire posse arbitramur: nam utut civitas non sit persona physica, quæ percipere negotium cum ea gerendum & consensum ad hoc perficiendum impertiri queat; fingitur tamen tanquam persona, quæ ipsa consentire & contrahere videtur, dum aut illi, qui in civitate tanquam cives vitam transfigunt omnes, aut illi, qui cives repræsentant, consentiunt & contractus ineunt: sic civitatem mutuo obligari tradit VLPIANVS JCtus in *l. 27. π. d. Reb. creditis* & civitatem credere posse filiofamilias dicit JCtus MARCIANVS in *l. 15. π. ad SCtum Maced.* Sicut igitur civitates aliis conventionibus obligantur; ita cambiis etiam easdem obligari adserimus, si omnes cives, vel qui eos repræsentant, in utilitatem civitatis cambia contraxerint. Verum si tempore a civitate determinato in litteris cambialibus restitutio pecuniæ debitæ non sequatur, an rigore juris cambialis uti possit is, cui pecunia solvenda, contra civitatem perpendendum est. Si omnes & singuli cives cambia talia inierint, & ad rigorem cambialem perferendum se obstrinxerint, singulos consentientes in carcerem includi posse non negamus; *arg. §. 13. Append. Ord. Pr. Sax.* Si vero qui repræsentant civitatem, cambia inierint, cives non includendos esse ea ex ratione existimamus, quia JCtus VLPIANVS *in l. 7. §. 1. π. Quod cujuscunque Universitatis nomine vel contra eam agatur,* pronuntiat: *si quid universitati debetur, singulis non debetur, nec quod debet universitas, singuli debent.* Igitur hoc in casu ex cambio tanquam ex instrumento guarentigiato executio non in personas civium, nec in bona singulorum, sed in bona universitatis fieri debet, adeoque ipsi cives a rigore processus cambialis sunt liberati. Hæc vero executio non erit facienda in bona civitatis eo in casu, si illi, qui administrant res civitatis, soli nomine civitatis cambium contraxerint, nisi pecunia cambialis in utilitatem civitatis versa appareat, v. g. anticipato re-

conventionis in Saxonia judicio, ſed adminiſtratores hoc in caſu rigori juris cambialis ſubjecti ſoli erunt *arg. all. §. 13. Append. Ord. Pr. Rec.* Quamvis enim alias illi, qui generali mandato rebus adminiſtrandis aliquem præpoſuerunt, obligentur ex tali negotio, quod præpoſitus perfecit, favor tamen civitatum effecit, ut aliud in *l. 27. π. de Reb. cred.* ſtatutum fuerit, ut nempe civitas non obligetur, ſi pecuniam ex mutuo, & uti inde argumentamur ex cambio (quia cambium hoc in caſu a mutui datione revera initium cepit, & in litteris cambialibus datis, mutuum ex conventione partium contrahentium rigori juris cambialis ſubjectum latet) in civitatis utilitatem non eſſe verſam conſtet. Utitur, ſi verſio non facta ſit, civitas exceptione non factæ in rem verſionis, quæ tanti momenti eſt, ut quoque inſtrumento liquido & ſic hoc in caſu cambio ad impediendam executionem in bona civitatis opponi poſſe videatur. Interea quum æquitas naturalis haud patiatur, ut is, qui cambium bona fide iniit cum adminiſtratoribus nomine civitatis, jacturam pecuniæ datæ faciat, uti jam dictum, ſoli adminiſtratores proceſſu cambiali, quo ſe ſponte ſua obligarunt, tenebuntur; quippe talis creditor, qui cum adminiſtratore civitatis, nomine civitatis, cambium iniit, hoc eo animo iniiſſe creditur, ut civitas obligetur & pecunia cambialis in ejus utilitatem convertatur; ſi vero hoc ſecutum non fuerit, tacite adminiſtratorem ſibi ad pecuniæ reſtitutionem jure cambiali obligaſſe videtur, in quod adminiſtratorem quoque tacite conſenſiſſe præſumitur, aut potius ob æquitatis rationem jure fingitur, ne creditor pecuniæ ſuæ jacturam ſentiat & adminiſtrator cum creditoris damno locupletior fiat: unde ulterius conſequitur, ut adminiſtrator nec proteſtatione, quo minus hoc caſu obligetur, ſe præmunire queat; nam conventiones ob æquitatem fictæ, non contraria voluntate tolluntur, lex enim hic non tantum aliquid præſumit, ſed & illud tanquam verum propter ſummam æquitatem adprobat; proteſtatio vero interpoſita ſuper eo, quod non a voluntate alicujus, ſed ex legis diſpoſitione dependet, proteſtantem non juvat. Quid? quod

quod voluntas administratoris in eo satis declarata, quod litteras cambiales, ex quibus se ad promtissimam solutionem obligari scire facile potuit, dederit. vid. RAUMBURGER. *cit. loc. §. 19.* add. LAUTERBACH. *in Dissert. ad l. 27. π. d. Reb. Cred.*

§. XXI.

Qui opificia & artes mechanicas tractant, ut & agros colunt, dum alias conventiones validas ineunt, cambia quoque contrahere & juris cambialis rigori se subjicere possunt. Juris quidem ignorantia quibusdam personis nominatimque rusticis in jure romano condonatur, indeque inferendum videtur ejusmodi homines, qui de cambiorum natura sæpe non informati sunt, rigori juris cambialis non esse subjiciendos; in cambiis tamen, quibus fides in commerciis & in aliis quoque negotiis servanda maxime fulcitur, ignorantia hæc non erit perferenda, nisi legislatores tales homines, ob statum suum allegantes ignorantiam juris hujus cambialis, audiendos vel in universum a rigore cambiorum eximendos esse voluerint. In Ducatu Brunsvicensi rusticos & opificiarios a processu cambiali non liberandos eosque, si dederint litteras cambiales, eôdem quo mercatores modo ad solutionem justo tempore faciendam compellendos esse *ex Ord. Camb. art. 2.* adparet. In Ord. Camb. Altenburgensi vero jus cambiale non esse adhibendum apud ejusmodi homines, sed eos arcendos a cambiis contrahendis sancitur his verbis: Daß das Wechsel-Recht nur unter denen von Adel und honoratioribus, oder andern, so Vermögen haben, und von Renten leben, wie auch bey Handels-Leuten und Cramern, nicht aber unter gemeinen Bürgern und Bauern recipiret seyn solle. Collegiis opificum jus se obligandi cambiis ademtum reperimus in Ord. Camb. Wratislaviensis §. 1. his verbis: Daß keine Innung mit Wechseln zu trassiren befugt seyn soll. Quod nominatim vero ad rusticos attinet, de his Augustissimus Rex Poloniæ in *Rec. Ord. Pr. Sax. Append. §. 11.* juris romani rationem, quæ rusticos in cultura agrorum impediri non sinit, secutus. vid. *l. 1. & §. 5. Cod. d. Agric. & Cens. & Colon.* disposuit, daß nicht weniger die Bauers-Leute, wenn sie nicht zugleich zulässliche Handlung treiben, oder Güter pachten, gänzlich von dem Wechsel-

Proceſs ausgenommen seyn sollen. Diſtinctio ergo ſecundum hoc mandatum ſaxonicum adhibenda eſt, an ruſtici mercaturam licitam exerceant, nec ne; priori caſu, proceſſus cambialis contra eos inſtituendus, non poſteriori, uti hic proceſſus locum invenit quoque, ſi ruſtici nominatim prædia conduxerint, &, ut locator de mercede ipſi ſolvenda ſecurus reddatur, litteras cambiales dederint: interea conſtat ſi in aliis cauſſis ruſtici bona fide cambia contraxerint, quamvis rigori proceſſus cambialis locus dari jure nequeat, executio tamen promtiſſima ob has litteras datas a judice decernenda ſit, quum omnia cauſſæ momenta, juxta append. Ord. Rec. §. 4. & 5. ad ferendam ſententiam condemnatoriam neceſſaria, ex tali inſtrumento in continenti probari poſſint. vid. LVDOVICI im Wechſel-*Proceſs* §. 5.

§. XXII.

Aleatores haud raro, quando ludendo pecuniam perdiderunt, litteras cambiales ei, qui quæſtum ex ludo fecit, de pecunia deperdita certo tempore ſolvenda, dare ſolent, ſed an ob has litteras ii rigori juris cambialis obnoxii ſint, indagare non labor fruſtraneus erit. Secundum juris romani, cambia tamen ignorantis, fundamenta aleator victus victori non eſt obligatus, nec actio ab hoc contra illum cum effectu inſtitui poterit. Nam etſi ludus in ſe nihil ſit, quam reciproca ſub certa conditione donatio & juri naturali in ſe non adverſari videatur; incommoda tamen, quæ vitio hominum aleam plerumque comitantur, dum multi magnam patrimonii ſui partem aleæ committunt & ſe familiamque ſuam egeſtatis & nuditatis periculo exponunt, effecerunt, ut Romæ olim alea i. e. ludo, in quo fortuna prædominabatur, nihil turpius fuerit, indeque variæ eæque graviſſimæ ſanctiones contra aleatores conditæ in jure romano reperiantur, e quibus eam tantummodo, quæ huc pertinet, enarramus. Nempe Imperator IVSTINIANVS *in l. 1. C. d. Aleator.* juſſit, victum in aleæ luſu non conveniri, etſi is ſolverit, habere repetitionem tamen debere tam ipſum, quam hæredes ejus adverſus victorem & ejus hæredes, idque perpetuo & etiam poſt triginta annos; datam etiam ſuper aleæ luſu cautionem irritam eſſe & eam ſemper

con-

condici a victo posse. Hanc Romanorum Legislatorum ad eliminandos fortunæ ludos curam prædicamus pariter atque existimamus, si non adsint leges noviores aut consuetudines, constitutiones juris romani civibus maxime salutares, abrogantes, easdem hodieque observandas esse; imprimis, quum jus germanicum antiquum, nominatim Saxonicum im Land-R. *art.* 6. *Lib.* 1. Daß einer Spiel-Geld zu geben nicht pflichtig sey, & novum in der Fuß-Knechts-Bestallung zu Speyer an. 1570. Daß, wo einer dem andern viel oder wenig auf Borg abgewinnet, ihm der andere nichts davon zu zahlen schuldig seyn solle, ludo deperditum solvere prohibeat, indeque procul dubio evenit, ut, quod ad cambia attinet, hæc super pecunia ludo amissa in quibusdam locis data omni effectu priventur, quod comprobat Ord. cambialis Hamb. anno 1711. edita *in art.* 48. his verbis: Daß zu Verwehrung derer einreissenden höchst verderblichen Spielen alle und jede über Spiel-Geld ausgestellte Wechsel-Briefe in dasigen Gerichten nicht admittiret, sondern vielmehr cassiret werden sollen. Allegan da sunt potissimum quoque verba, quibus in App. Ord. Pr. Rec. §. 15. cambiis super pecunia ludo deperdita datis efficacia adimitur: Insonderheit soll auch, wenn der Wechsel über einer Spiel-Schuld ausgestellet, oder sonst eine unzuläßige simulation darunter verborgen, derselbe, so denselben indossiret, wie nicht weniger der indossatarius, wenn er von solchen exceptionen Wissenschafft gehabt, dem debitori das duplum nach Wechsel-Recht zu erstatten angehalten, und noch darüber willkührlich gestraffet, der Schuldner auch, wenn dißfalls erhebliche Vermuthungen vorhanden, mit der deposition zugelassen werden. In illis locis vero, in quibus tales ordinationes speciales cambiales deficiunt, nihilominus super pecunia ludendo deperdita litteras cambiales dari non posse persvasissimi sumus, quum fundamentum obligationis sit lex, lex vero germanica & romana potissimum damnet obligationem ex ludo oriundam & cautionem super aleæ lusu datam. At eæ hominum ludentium artes sunt, ut in cautione hac & litteris cambialibus mentionem injici, pecuniam quam captant, ludendo esse deperditam, non permittant, & potius, quod in cambiis quoque plerum-

que

que usu servatur, caussam debendi his litteris haud inseri curent, ut promtissimam solutionem consequantur & facilitatem illius, qui litteras has scripsit in suum damnum, rideant. Verum si is, qui dedit has litteras cambiales, a victore litteras alias, in quibus mutuum hoc ex cambio enatum esse continetur, impetraverit, tunc exceptionem contra litteras cambiales in continenti probare alio instrumento, quæ exceptio ut tradit LUDOVICI im Wechsel-*Process Cap. II.* contra cambia admittitur, & se ab hoc cambio facili negotio liberare & risum partis adversæ flocci pendere poterit. Conf. STRYCK. *in Usu Mod. pand. Tit. de Aleat.* Si vero in hac re victus pro commodo suo vigilare omiserit, eum cambialis juris rigor ad solvendum compelleret quidem, debitori tamen reconventio, ne fraudulenta cambii exactio lucrum lusori adferret, & damno cederet debitori, reservanda esset, quod verba ex App. Ord. Rec. §. 15. ultima paulo ante allegata confirmant. Conf. STRYCK. *cit. loc.* §. 8.

§. XXIII.

Ebriorum, prodigorum, furiosorum, mentecaptorum & aliorum cambia persequi nunc etiam possemus; sed quia illi, qui de cambiis libros in lucem prodiderunt, hanc materiam jam accurate & copiose pertractarunt, id facere jam abstinemus. Hoc vero adhuc observatu dignum judicamus, quod rigor juris cambialis nunquam locum invenire possit contra quemcumque processus cambialis instituatur, si litteræ cambiales secundum legum & consuetudinum cambialium normam rite confectæ aut obligationes, in quibus debitor, in securitatem creditoris ad hunc rigorem se obstrinxit, hac forsitan formula: Er verspreche hiermit die ihm vorgeschossene 1000. Rthl. nach Wechsel-Recht zu bezahlen, und gebe seinem Creditori freye Macht, wegen dieser Post nach Wechsel-Recht wider ihn zu verfahren, haud producantur, aut, uti LUDOVICI im Wechsel-*Process Cap. II. §. 10.* demonstrat, a mercatoribus ad minimum, juxta morem inter eos receptum, non exhibeatur scriptura, eine Handels-Obligation, qua verbis paucissimis mercator quidam fatetur, se a mercatore producente hanc obligationem, accepisse fide habita merces, pretiumque se harum mercium soluturum esse certo die in obligatione expresso, promittit. Immo interdum, licet litteræ cambiales optima forma & requisitis suis munitæ adsint, rigor juris cambialis tamen non adhibendus erit, si hæ litteræ vim processus rigorosi præscriptione amiserint, aut si in bonis debitoris cambialis concursus creditorum exortus fuerit, quippe qui operatur, ut creditoribus litteris cambialibus instructis, juris cambialis rigore contra debitorem non ulterius uti liceat, sed iidem potius in foro, in quo concursus inchoatus actiones suas proponere teneantur. Hoc tamen ultimum in Saxonia nostra Electorali non obtinere probari potest ex *Ord. Pr. Rec. ad Tit. L. II. §. 2.* Plura non addimus sed benevolum lectorem plura in hac materia copiosissima desiderantem ad juris cambialis scriptores remittimus finemque dissertationi nostræ jamjam impositurí Deo Optimo Maximo pro auxilio in ejus elaboratione præstito gratias, quas possumus submississimas, pie persolvimus.

(o)